



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tripartita Demonstratio, Worin Augenscheinlich wird
vorgestellt/ Daß Die Stadt Hildesheim von Jhrem Anfang
biß hiehin den Herren Bischöffen Als jhren
Landts-Fürsten/ Gleich anderen Municipal-Städten ...**

Hildesheim, A[nn]o 1691.

Num. 107. Extractus ex annalibus Archivalibus sub Episcopo Valentino ad
eundem annum 1542. pag. 1036.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38409

Die 28. Augusti triginta, à plebe delecti cum scribâ Civitatis irruerunt in Monasterium & templum sancti Michaelis, in indices retulerunt omnes litteras, Calices & pretiosa templi Ornamenta, deinde ciuitas, capsas, & ostia suis communiverunt Sigillis, Claves verò detulerunt ad Civitatis Curiam, idem fecerunt in parthenone Divæ Mariæ Magdalenaë, cumque Moniales sacrum audirent, Jusserunt Præpositum abrumpere cultum idololatricum vel Saxorum imbre repellendum ab arâ.

Et paulò post pag. 1032. circa finem.

Hildesienses verò nihil terrebantur, metu Cæsareæ Majestatis, & si quis à Cœptis eos deterreret, dicebant, à mortuis nihil timendum, Cæsaream autoritatem esse inane puerorum terriculamentum, si Cæsar vivat & viribus polleat, exerceat eas in Regem Galliaë ac Ducem Juliaë & Cliviaë ab illis ita Occupandum, ut Hildesij nunquam meminerit.

Num. 107.

Extractus ex annalibus Archivialibus sub Episcopo Valentino ad eundem annum 1542.

pag. 1036.

DUm hæc in parthenone aguntur Valentinus Episcopus ingressus est urbem, vehementer indoluit eam religionis mutationem incidisse in suam ætatem & absentiam.

Cognito Episcopi adventu Pomeranus malè sibi metuens repetiit Brunswigam, prætexens valetudinis vitium ex aeris & Cœli inclementiâ hîc contractum. Episcopus vertit se in omnem partem, si quo modo tanto malo occurrere posset, sed potentior viribus ipsius erat religionis causa, jamque novum habebat cum Civitate bellum multò funestius priore; ad quod componendum indicavit Senatui, Deputatos ad se mittat in suam aulam, renuit Senatus, denunciat ergò, si graventur ad se venire, venturum se in Curiam urbis, sed illud quoque negatum, ita ergo repulsus seriò hortatus est senatum, ne foederi Smalcaldico se misceret, sed omnia quasi fatali ruinâ, inclinabant se in hæresin.

Cumque in festo omnium Sanctoꝝ multi utriusque sexus in S. Laurentij sacello (quod unicum præter Cathedrale templum patebat) per sacram exomologesin conscientiam expiarent, ut Eucharistiaë mensæ in summo templo postridie accumberent, submissi à Senatu violenter inde omnes expulerunt. Episcopus fatigatus inutili labore & conatu, irritatus etiam incredibili Civium insolentiâ pridie S. Martini abiit ad Cæsarem petitem executionem sententiæ Romanæ, depositumque justas querelas de injuriâ Hildesiensium, mutatâque Religione.

Episcopi discessu aucta est Senatus & Civium malitia, nam 13. Novembris parochiale sacellum S. Antonij obserarunt, & pastorem per ministrum publicum ex urbe educi curarunt.

Occluserunt quoque eodem die in aulâ Episcopi Sacellum S. Mariæ Magdalenaë vulgò in Carthallo appellatum, vetueruntque, ne Divina ibi peragerentur. Mox præconis voce totâ urbe promulgatum, ne ullus Civium

Civium, nec eorum uxores, liberi, servi, ancillæ, imò nec Clericorum domestici Cathedrale templum ingrediantur, quando in eo cultus Divinus, aut Missæ Sacrificium peragitur, si quis Civis aut Civium Domesticus secus facit, pendet Senatui viginti florenos, si de Cleri familiâ sit, ex urbe quamprimum expelletur. Imò minaciter jactarunt se Cathedrale quoque templum occlusuros, atque ita totâ urbe abolituros omne Catholica religionis exercitium: Carthusiam quoque & Sultam suburbanam solo æquatueros.

Et paulò post

Sub Adventus initium spoliarunt tumulum S. Bernwardi auferentes ad trecentas ceræ libras, nocturno quoque tempore, carro avexerunt candela, coronas, aliæque ornamenta ex stanno, cupro, & electro facta. 19. Decembris mandavit Cæsar Senatui, & populo Hildesimensi sub prescriptionis pœnâ, ut intra octodecim dies Prædicantes ex urbe dimittant: Venerabile Sacramentum ibi, unde ejectum, reponi sinant, templa & monasteria obserata recludant, nullum in cultu divino turbent, aut impediunt, ablata ex templis & Monasteriis fideliter restituant, Altaria, Baptisteria, Cruces, Imagines aliæque destructa reparent atque instaurent, ab omni vi, injuriâ ac molestiâ prorsus abstineant.

Num. 108.

Extractus ex Annal. Archivial. sub eod. Episcopo Valentino ad An. 1543. pag. 1047.

Eædem Civitates videbantur decertare inter se, quænam ferventior esset in Executione primi fœderis Articuli, hinc Lubecenses diruerunt templa S. Georgii & S. Gertrudis. Brunswicenses vastarunt collegiatis S. Cyriaci & S. Crucis. Goslarienses toto solo æquaverunt, ut vix superesset in quo fervorem ostenderent. Verùm Hildesenses omnibus palmam præripuerunt, intra paucos enim annos Monasteria suburbana Sultam & Carthusiam, Ecclesias S. Joannis, & S. Catharinæ ita subruerunt, ut vix vestigia reliquerint. lugenda strages tot ædificiorum tanto labore tantisque impensis eductorum, & Carthusia quidem vix ab incendio anni 1522. restituta erat.

Intra urbem ruinæ templorum quidem parvum, in profanos tamen usus sacrilegè conversa sunt, in templum S. Martini inducta, mola asinaria, digni certè molitores, qui suspensâ ex collo molâ demergantur, in profundum maris. S. Lamberti elegans templum conversum in Armentarium. S. Pauli profanis cœtibus & hæreticis Concionibus contaminatum. Quam impiè, sacrilegè tractarint, Hildesenses Imagines Christi, Sanctorum & eorum reliquias, quam scurriliter illuserint, Episcopis & Pontificibus, nemo verbis explicabit. Pauca in exemplum adducemus ex impresso D. Oldecop. Anno 1543. in feriam quintam post Dominicam Sexagesimæ incidit pervigilium Purificationis B. Virginis, quo die olim populus orthodoxus se præparabat ad Solemnitatem Dei Genitricis Patronæ sanctæ pieque urbis & patriæ per agendam, jam verò Magistratus Lutheranus præconis voce invitavit plebem ad Choream sub vesperum

in